

habebis comites. Respiciunt Consulem suum, absensem aliquando, sed vel ex ea causa praesentiorem. Experiendo didicerunt, quam commoda sit in tempore veniens dexteritas. Sic ut diu possideant, quod habentus possederunt, precantur: Oculos in Te convertit Nobilissimus Senatus: nec alio spectare sustinent coniunctissimi Cives. Neque nullum pondus addent intercessiones, quas Summè Reverendus FRATER Tibi quam libentissimè debet. Is Lipsiam colit, nostris finibus amicam. Inde qui novam illam Patriam cupit esse fortunatam, pristinæ suæ Patriæ tanto minus obliisci potest. Est etiam sua vis in cordatis Clientum acclamationibus: quo propius enim suis successibus coniungi vident splendorem Tuum: eo fidelius, tanquam in negotio suo, pietatem volunt occupatam.

Facere non possum, quin Optimi Parentis mei mentionem faciam, cuius quidem sinceritas annis superioribus intemerata, nunc senectutis vitium vix contrahet. Is cum ad functionem suam esset vocatus, B. Parentis Tui verbis solenniter excipiebatur. Addita quædam fuerant, quibus agnoscendis obstitit modestia. Nunc tamen ea transcribere, meliore non solum jure, sed omnibus etiam plenioribus liceat: *Vincet: nam sapiens est. Explebit: nam plenus est. Superabit: nam potens est. Dominabitur: nam divinus; nam Christianus est.* Hac tessera Paternam benedictionem renovari credes, quo magis Viri meritissimi sepulchrum novis subinde titulis augere conatus es. Reliqua dicamus, ubi Negotiorum effectus fiduciam nostram coronaverit.

DEUS Te servet.

Scrib. Zittaviae, d. 12. Januarii, M DCCV.

